

sententia aut verba denique ad rem agendam strenue se offerant, nisi ei, qui penitus causae viscera per statum ipsum et singula membra quaestionum et species cogitatione tacita apud se omnium, quae prosint causae quaeque obsint, alta ratione discussit. hoc est, quod Cicero ait: 'ex
 5 rerum cognitione efflorescat et redundet oratio: ac nisi res sit ab oratore percepta et cognita, inanem quandam elocutionem existere ac paene puerilem.' Socrates quoque dicere solebat omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes. scire autem est rem, de qua dicturus sis, universam antepernoscere (in hanc rem constat etiam Catonis praeceptum paene divinum, qui ait: 'rem tene, verba sequentur'), et peristasin causae, quam
 10 susceperis, et in ea iudicatum, τὸ κρινόμενον, per singulos proprii status articulos investigare, et tunc ad statuenda principia et ceteras orationis partes cogitatione respicere: ideo quod illa prima, quae dicuntur, si vehementer velis congruere et cohaerere cum causa, ex his ducas oportet
 15 quae secuntur.

Accepto igitur themate primum circumstantiam sectari debes, cuius partes sunt septem hae: quis, quid, quando, ubi, cur, quemadmodum, quibus adminiculis. harum vero omnium aut plurimarum rationalis congregatio facit causam, et hac primum perspicitur, an consistat controversiae ratio, an vero materia, quae proposita est, asystatos sit.

DE ASYSTATIS

Asystaton est enim thema, quod circumstantiam non habet, ut 'reum facit iniuriarum pauperem dives'. vides hanc causam stare non posse; neque enim quando nec ubi nec cur nec aliud praeterea potest quaeri, ut